Quelle: https://manuscripta.at/?ID=36942
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Agnus paschalis figuravit Christum

Cena domini est figurata in agno paschali
Qui feria quinta ante pascha in domibus solebat manducari
Hunc dominus precepit filiis israel manducare
Cum decrevit eos de egipciaca servitute liberare
Ita christus sacramentum eukaristie tunc primum instituit
Cum nos de dyabolica potestate eripere voluit
Cum filii israel agnum paschalem manducabant
Succincti erant baculos in manibus tenebant et stabant
Ita communicantes debent esse succincti per mentis et corporis castitatem
Et tenere baculos in manibus per vere fidei firmitatem
Debent etiam erecti stare in bona fide quam in corde habent
Et non se iterum ponere in lutum de quo iam surrexerunt
Agnus edebatur cum lactucis agrestibus que sunt amare
Et nos debemus corpus domini cum amara contricione manducare
Qui comedebat agnum tenebatur pedes suos calciare
Et pedes solet sacra scriptura desideria designare
Communicantes autem pedes suos calciare tenentur
Cavendo ne desideria eorum sordes aliquas maculent
Agnus paschalis non fuit coctus aqua sed assus igne
Et communicantes debent igniti esse caritate ut manducent digne
Christus eukaristiam sub specie panis et vini donavit
Hoc olim melchisedech rex et sacerdos prefiguravit
Quatuor reges terras in quibus abraham habitabat vastaverunt
Et multa spolia et loth cum multis captivis adduxerunt
Abraham autem cum suis ipsos insequebatur